



**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Quæst. 5. Quænam propositiones euidentes, au aliàs certæ seu perse
notæ, eliciantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)

Disp.X.De variis statibus rerum. Quæst.V.265

puram, & mixtam ex conditionato positio & conditione negatiua. Denique sub negatiua puram, & mixtam vice versa. Quo etiam pacto de statibus, ad quos tales propositiones pertinent loquutus sum.

²⁶² Secundò adnotandum est, inter propositiones etiam obiectiuas disiunctiuas quasdam similiter esse purè existentiales, quasdam purè quiditatuas, & quasdam mixtas; tum quasdam esse purè positiuas, quasdam purè negatiuas, & quasdam mixtas; tum quasdam esse purè absolutas, quasdam purè conditionatas, & quasdam mixtas; tum quasdam esse purè de futuro, quasdam purè de presenti, quasdam purè de præterito, & quasdam mixtas; tum eiusmodi mixtiones innumeris propemodum modis variari posse omni dictorum terminorum combinatione factâ; cum enim omnis propositio disiunctiua ex duobus saltem, ex pluribusque in quouis numero extremis disiunctionis possit coalescere, consequens est, ut unum, aut plura talium extremorum vnus dictorum generum, aut etiam plurium eorum esse possint; alterum autem, aut plura reliqua alterius similiter talium generum, aut etiam plurium. Idque omni combinatione, omnique omnino mixtione possibili factâ, ut constat.

²⁶³ Tertiò adnotandum est tibi solum habere locum status de futuro, de presenti, & de præterito; ubi seu positio, seu negatio agit de existentia rerum, aut iudicando absolute, aut iudicando conditionatè, aut ponendo in hypothesi, aut aliter quouo modo apprehendendo, seu concipiendo illam; non item ubi agit de sola quiditate rerum, quouis ex dictis; hæc namque præcindit ab existentia, atque aded etiam à tempore, à quo illa statuum differentia sumuntur: prout alibi diximus.

²⁶⁴ Quartò adnotandum est: licet status rerum, de quibus, in tota hac disp. tractamus, à veritatibus obiectiuis, siue obiectis veris, quæ ad ipsos diximus pertinere, re ipsa distincti non sint, ut sub initium questionis primæ, & sæpè alibi statuimus; eos tamen concipi à nobis instar quarundam capacitarum, ubi eiusmodi veritates, siue obiecta vera suum locum, aut sedem habent. Ad eum ferè modum, quo spatium locale à præsentis rerum possibilibus re ipsa indistinctum, instar cuiusdam capacitatis vndeque extensæ imaginatur, in quâ res cunctæ collocantur; ob idque imaginariū dicitur.

²⁶⁵ Quintò adnotandum est: quot sunt status rerum veri in superioribus explicati cum veritatibus obiectiuis ipsarum rerum identificati re ipsa; ad quos eadem veritates pertinere dicuntur, totidem posse, imò, & debere considerari status rerum falsi cum falsitatibus obiectiuis ipsarum rerum identificati re ipsa, ad quos eadem falsitates pertinere dicuntur. Ut enim, existente Petro, veritas hæc: *Petrus existit*, pertinet ad statum existentialem absolutum, & verum; ita non existente Ioanne falsitas hæc: *Ioannes existit*, ad statum existentialem absolutum, & falsum pertinere dicenda est. Et, ut hæc: *Petrus est homo*, ad statum quiditatuū absolutum, & verum, ita hæc: *Petrus est Angelus* ad statum quiditatuū, absolutum, & falsum; & ut hæc ad status conditionatos veros: *Si quid fuerit homo, erit risibile*: *Si extiterit ienis, existet calor*; ita hæc ad status conditionatos falsos: *Si quid fuerit Angelus, erit corpus*: *Si Petrus extiterit cras in peccato, eras existet in gratia*. Pariterque dicendum venit de cæteris.

²⁶⁶ Sextò adnotandum est: primam, potissimam, omnique notabilissimam differentiam scientiarum

Pharus Scient. Tom. I.

humanarum ex differentia status quiditatiui, & existentialis scibilium rerum desumi. Scientia enim, quæ de rebus agit secundum esse, quod illæ habent intra statum quiditatuū, quam ego vniuersæ Metaphysicam dico, pro principiis habet notiones vniuersales, quæ primas, seu immediatas rerum proprietates notificant: Scientia verò, quæ de rebus secundum esse quod illæ habent in statu existentiali, quam ego vniuersæ appello Physicam, pro principiis habet experimenta singularia, quæ sub sensum, atque aded sub experientiam cadunt. Vnde prima de vnaquaque re agit quoad quid est; secunda verò quoad an est. Prima pro obiecto habet propositiones, quarum prædicatum necessariò est subiecto annexum ob connexionem necessariam, quam hoc habet cum illo; secunda verò pro obiecto habet propositiones, quarum prædicatum accidentarium, contingensque subiecto est: atque aded prima de veritatibus necessariis; secunda de contingentibus iudicat, aliasque differentias habent, de quibus vberius agemus *disputatione 21. & 22.*

QVÆSTIO V.

Quænam propositiones evidentes, aut aliàs certæ, seu per se notæ, seu demonstratæ ex terminis huius disputationis in superioribus expositis eliciantur, tum inter se, tum cum terminis præcedentium collatis.

Dico elici, quæ sequuntur.

Propositio 1.

Status existentialis absolutus, & positiuus in rebus creatis metaphysicè connexus est cum statu quiditatiuo; sed non è conuerso.

Quia impossibile est, ut aliqua res absolutam existentiam habeat, quin habeat quiditatem, & passionem annexam quiditati: bene tamen fieri potest, sapèque sit, ut habeat de suo quiditatem, & passionem quiditati annexas, quin habeat existentiam, ut est notissimum.

Ex hac propositione sequitur primò propter inuersam connexionem contradictoriorum extremorum, statum quiditatuū absolutum, & negatiuum, quæ ratione ille datur, iuxta dicta *quæst. 4. proposit. 4.* cum existentiali absoluto, & negatiuo connexus esse metaphysicè; non tamen vice versa: quia necesse est, ut quod non habet quiditatem, non habeat existentiam. Tum ut, quod quiditatiue non est quidpiam, nec sit id ipsum existentialem; cum tamen bene fieri possit, ut quod non habet existentiam, quiditatem habeat. Tum, ut, quod existentialem non est quidpiam, id ipsum sit nihilominus quiditatiue; ut satis constat.

Secundò sequitur, ab statu existentiali absoluto ad quiditatuū absolutum bene argui affirmatiue, secus à quiditatiuo ad existentialem: negatiue verò è conuerso ab statu quiditatiuo bene argui ad existentialem absolutum; secus ab existentiali ad quiditatuū.

Restrinxi autem propositionem ad res creatas: quia in Deo status quiditatiuus, & existentialis absolutus mutuo connexi sunt metaphysicè, eò quod essentia diuina cum sua absoluta existentia metaphysicè connexa, est ut est notissimum.

Propositio 2.

273 Omnis status absolutus cum aliquo conditionato est metaphysicè connexus; non tamen viceversa.

Quoniam de quacunque re quidpiam est absolute verum, de eadem est id ipsum verum sub aliqua conditione siue distincta, siue indistincta ab ipsomet: Cum tamen è contrà fieri possit, vt de aliqua re sit quidpiam verum sub conditione aliqua, quin sit de eadem id ipsum absolute verum, vt est notissimum.

274 Vnde fit, ab omni statu absoluto ad aliquem conditionatum bene argui affirmatiue; secus à conditionato ad absolutum. Negatiue verò è conuerso, ab statu conditionato ad absolutum bene argui; secus ab absoluto ad conditionatum.

Propositio 3.

275 Quoties conditio cum conditionato connexa, est, necessariò est verum conditionatum sub hypothesei conditionis.

Quia in tali casu necesse est, dari conditionatum, si detur conditio: hoc autem ipsum est, necessariò esse verum conditionatum sub hypothesei conditionis, vt constat; Idque siue conditio, & conditionatum sint positiua, siue sint negatiua; siue alterutrum positiuum, & alterum negatiuum sit.

276 Et quoniam nulla conditio est magis cum conditionato connexa, quam, ab ipso à parte rei indistincta est, efficitur, nullum esse conditionatum, quod necessariò non sit verum, sub hypothesei suimet, seu sub hypothesei conditionis realiter à se ipso indistincta.

277 Vnde rursus efficitur, veritatem conditionatam necessariam titulo connexionis, quam habet cum conditionato conditio, aliam esse de conditione realiter à conditionato distincta; aliam de indistincta realiter.

Propositio 4.

278 Omnis veritas conditionata necessariò transit in absolutam purificatà conditione.

Quia purificatà conditione, hoc est, ad statum absolutum verè reducta, impossibile est, vt non sit absolute verum id, quod sub hypothesei illius erat verum conditionatè. Ob id, si semel est conditionatè verum, extititum calorem, si extiterit ignis; deindeque est absolute verum, extititum ignem, nequit non esse absolute verum, extititum calorem; & in ceteris pariter.

279 Ex quo patet, coniunctum ex quauis veritate conditionata, & ex purificatione conditionis metaphysicè connexum esse cum veritate absoluta conditionati; atque ita optimam esse arguendi formam, vbi ex veritate quauis conditionata, & purificatione conditionis simul, & indiuisim sumptis infertur veritas absoluta conditionati. Sic: si Petrus vocatus fuerit, consentiet. At est vocandus: Ergo consentiet. Similiterque in reliquis.

Propositio 5.

280 Quod vnumquodque quiditatiue, & absolute est, aut non est, id ipsum sit, aut non sit conditionatè, & existentialiter sub hypothesei, quod existat, necesse est.

281 Quia, quod vnumquodque est, aut non est qui-

ditatiue, & absolute, id necessariò est aut non est, in quocumque statu reperitur, vt est notissimum; atque adeò in statu existentiali, casu quòd reperitur in illo. Hoc autem ipsum est, esse illud tale existentialiter, sub conditione, quòd existat. Sic: quia Petrus quiditatiue, & absolute est risibilis; existentialiter conditionatè est risibilis, ex hypothesei, quòd existat, & in ceteris pariter.

Hinc: omnis veritas quiditatiua absoluta veritatem existentialem conditionatam fert necessariò secum annexam; omnisque subinde status quiditatiuus absolutus existentialem conditionatum similiter fert secum: Vnde à tali quiditatiuo ad talem existentialem legitime arguitur.

Propositio 6.

Impossibile est, vt ex duobus extremis vnum, vel alterum sub disunctione habeat esse re ipsa; & neutrum eorum determinatè habeat esse re ipsa.

Hæc propositio ex terminis est cunctis euidentis; indeque demonstratur insuper: quia à parte rei dari entia vaga, seu disunctiua non determinata, atque adeò ab omnibus entibus determinatis distincta realiter, manifestissimè repugnat. Darentur autem, si ex duobus extremis vnum, vel alterum sub disunctione, & neutrum determinatè posset habere esse re ipsa; tum quia, quoties neutrum duorum extremorum habet esse determinatè, necundè potest esse verum, habere alterutrum esse sub disunctione, vt satis, superque etiam ex se euidentis est.

Est autem sermo in propositione tam de esse quiditatiuo, quam de esse existentiali extremorum, eoque, siue absoluto, siue conditionato: Idemque eodem titulo venit dicendum de duorum extremorum non esse. Repugnare scilicet, vt eorum alterutri sub disunctione conueniat re ipsa non esse; & neutri eorum conueniat determinatè, vt est manifestum. Quod autem dictum est de duobus extremis, pariter dicendum venit de pluribus in quauis multitudine, vt constat.

Propositio 7.

Impossibile est, vt actus quicumque ille sit, versetur per se circa vnum, vel alterum terminum sub disunctione, ipsumve vt sic tangat, siue respiciat, & circa neutrum eorum versetur, neutrumve tangat, siue respiciat determinatè.

Hæc propositio non minus est mihi euidentis, quam præcedens; indeque demonstrari potest, seu declarari primò: quia æquè imperceptibile, atque adeò æquè impossibile est, vnum, vel alterum extremum sub disunctione, & neutrum sub disunctione & neutrum determinatè existere, seque subinde exercere per actum existendi, atque vnum, vel alterum extremum sub disunctione, & neutrum determinatè terminare quemuis respectum, seque subinde exercere per actum terminandi illum. At primum euidenter est impossibile, iuxta propositi. 6. ergo & secundum. Deinde, quia impossibile est, actum, siue respectum quemuis tangere per se A, vel B, disunctiue neutrum tangendo: Ergo tangere A, vel B disunctiue, aliud re ipsa esse non potest, quam tangere aut A solum, aut B solum, aut vtrumque. Quod ipsum est tangere aut A solum, aut B solum, aut vtrumque determinatè, vt satis ex se est notum. Præterea si actus à parte rei tangeret vagè A, vel B, aliquid daretur vagum à parte rei, nempe eiusmodi tractus, vt pote includens in suo conceptu reali inquantū vagus

Disp. X. De variis statibus rerum. Quæst. V. 267

A, vel B, vagè. At dari aliquid à parte rei vagum, impossibile est; iuxta *propositi.* 6. Ergo.

155 Quomodo autem actus, qui vulgò censentur per se veritari circa vnum, vel alterum terminum sub disiunctione, siue vagè; & circa neutrum determinatè re verà non ita versentur; sed circa vtrumvis determinatè, sub conditione tamen defectus alterius, ex dictis *quæst.* 1. num. 133. & seqq. compertum est. Et quod dictum est de actu re piciente duos terminos, pariter de respiciente plures in quovis numero dicendum est. Loquor autem semper impræsentiarum de actu per se respiciente extrema disiuncti; nam de actu respiciente illa non per se; sed per aliena substituta, aliter, quod ad rem attinet, philosophandum est, ut constat ex dictis etiam *quæstion.* num. 2.

Propositio 8.

156 Impossibile est, ut actus, quicumque ille sit, conveniat per se vni, vel alteri subiecto sub disiunctione, & neutri eorum conveniat determinatè.

Hæc propositio æquè, ac præcedens, eisdemque titulis est evidens, eique propterea eodem iure sunt applicanda, quæ pro illa sunt dicta.

Propositio 9.

157 Quoties verum est, vnum, vel alterum extremum sub disiunctione habere esse nequit non esse verum habere esse alterum eorum determinatè, & vice versâ.

Prior pars propositionis inde monstratur: quia alias alterutrum extremorum sub disiunctione, & neutrum determinatè possit habere esse: contra *propositi.* 6. Posterior autem inde: quia verificativum disiuncti ipsissimum est, esse determinatum alicuius extremi eius; ut constat ex dictis; Tum, quia si disiunctum non esset verum disiunctivè, quoties alterum extremum eius verum determinatè est; contradictorium ipsius disiuncti omnium extremorum eius veritatem determinatam removens verum esset; sicque duo simul extrema contradictoria essent vera, quod est absurdum; nempe aliquid extremum disiuncti, & nullum extremum disiuncti determinatè habere esse.

158 Vnde patet, veritatem formaliter disiunctivam adstruentem esse disiuncti in veritate determinatè adstruente esse vnius extremi eius ita fundari, ut cum illa necessariò connexa sit connexione mutuâ; iuxta dicta fusiùs, & explicata *superius quæstion.* num. 2.

Propositio 10.

159 Quoties verum est, vnumquodque extremum disiuncti habere esse sub conditione defectus alterius, nequit non esse verum, eorum alterum determinatè, & absolutè habere esse; sed non vice versâ.

Prior pars propositionis facillè demonstratur: quia si in tali casu neutrum haberet esse absolutè per defectum absolutum ambotum, vtrumque prædictæ veritatis conditionata, esset purificata conditio; fieretque, ut veritas conditionata per purificationem conditionis non transiret in absolutam; contra *propositi.* 4. vel aliter: quia quando neutrum extremorum absolutè habet esse,

Pharus Scent. Tom. I.

nequit esse verum sub conditione defectus vnius cuiusque habere esse alterum; siquidem deficiente vnoquoque, alterum habere esse impossibile est, ut constat. Posterior autem propositionis pars ex dictis *quæst.* 2. num. 148. constat.

Ex hac propositione inferitur: quoties verum est determinatè, conditionateque habere esse vtrumvis duorum extremorum sub conditione defectus alterius, non possit non esse quoque verum, habere esse sub disiunctione eorum alterutrum; atque ita veritatem illam complexam conditionatam huic disiunctivæ, æquivalere, prout *suprà quæst.* 2. statutum est: quia nequit non esse verum veritate disiunctivæ quodvis disiunctum, cuius vnum extremorum veritate determinatè, & absoluta verum est, iuxta *propositi.* 9. Et quoties vtrumvis conditionatè est verum sub conditione defectus alterius, nequit non eorum alterum esse verum veritate determinatè, & absolutè, iuxta *propositi.* præsentem.

Propositio 11.

Quoties verum est, disiunctivè vnum, vel al. 159 terum extremum habere esse; & simul est verum determinatè, eorum alterum non habere esse, necessariò est verum determinatè habere esse residuum.

Est clarum: quia si in tali casu residuum non haberet esse determinatè, neutrum haberet esse determinatè, habente nihilominus esse alterutro sub disiunctione contra *propositi.* 6.

In hac propositione fundatur modus ille legitimus arguendi ab affirmatione disiuncti, & negatione vnius extremi ad affirmationem residui; hoc pacto: *Petrus vel Ioannes loquitur: sed non loquitur Petrus: ergo loquitur Ioannes.* Quæ forma semper, & in omni materia legitima forma arguendi est: quia semper, & in omni materia antecedens est metaphysicè connexum cum consequente; ut constat ex præsentè *propositi.*

Ex quo supposito certissimo, & ex altero specie tenus etiam certo, nempe debere necessariò esse verum: consequens sub conditione minoris, quoties maior est vera, & forma syllogismi legitima: quævis omninò propositio conditionalis venit quoad speciem demonstranda. Vnde ego non semel in publicis disputationibus pulcherrimis philosophantibus respondentes vexavi. E. g. Ut probarem, decretum Incarnationis Verbi independens esse à peccato; hanc assumebam probandam conditionalem: *Si non existit peccatum, existit decretum.* Posito enim, quod verum sit, exiturum nihilominus decretum, etsi peccatum non existeret, compertum est, decretum in suâ existentia à peccato non dependere. Conditionalem autem ita probabam. Hæc disiunctiva est planè vera: *Vel existit decretum, vel existit peccatum;* & hic syllogismus legitimus: *Vel existit decretum, vel existit peccatum: sed non existit peccatum: ergo existit decretum.* At quoties maior est vera, & forma syllogismi legitima, nequit non esse verum consequens sub conditione minoris: igitur consequens illud: *existit decretum,* sub conditione illius minoris: *non existit peccatum,* est verum; quod ipsum est, verum esse conditionalem illam: *Si non existit peccatum, existit decretum,* quam probandam assumpseram. Quo eodem pacto probari potest, Deum cum creaturis possibilibus connexum esse, probata ista conditionalit

Si creatura non sint possibiles, datur negatio Dei: tum non esse connexum, probata ista: *Si creatura non sunt possibiles, existit Deus;* & alia huiusmodi sexcenta. Quod autem sit necessarium verum consequens sub conditione minoris, quando maior est vera, & forma syllogismi legitima, ut argumentatio facta supponit, videtur certum quia certum est, quoties syllogismi forma est legitima, necessarium esse verum consequens ex suppositione integri antecedentis, ob connexionem necessariam, quam integrum antecedens habet cum consequente: ergo supposita absolute maiore, si minor per hypothesin supponatur, necessarium erit consequens verum. Perinde enim esse videtur supponere integrum antecedens, atque supponere vnam partem eius, supposita iam altera aliunde.

²⁹⁴ Sed dicendum nihilominus est, etsi maior absolute sit vera, & forma syllogismi legitima; tunc tamen non esse verum consequens sub conditione minoris, quando minor maiori opposita, atque ita destructiva eius est, uti evenit in casu nostro; ubi etsi maior absolute sit vera, ex hypothesi tamen minoris vera non est, ob oppositionem, quam minor habet cum illa. Quo fit, ut in tali casu neque consequens verum sit ex hypothesi solius minoris, tamen ex hypothesi antecedentis integri nequeat non esse verum. Per quod fallacia argumentationis praedictae manet detecta.

Propositio 12.

²⁹⁵ Quoties verum est, aliquem actum per se respicere vnum, vel alterum extremum sub disunctione nequit non esse etiam verum respicere alterum eorum determinate.

Hae propositio in *propofit. 7.* recidit; nullaque subinde noua probatione, siue declaratione indiget; eam tamen adiungo, ut explicem, quot modis extrema disiuncti, circa quae actus versari dicuntur, determinate per illum respici possint, aut etiam debeant. Dico ergo, contingere posse primo, ut actus determinate, & absolute respiciatur, aut vnum tantum, aut vtrumque extremum disiuncti, quo utroque casu verè dicitur alterutrum sub disunctione respicere: quia sicut quando absolute, & determinate existit aut vnum tantum, aut vtrumque extremum disiuncti, verè dicitur sub disunctione existere alterutrum; ita, quando absolute, & determinate, aut vnum tantum, aut vtrumque extremum disiuncti respicitur per actum, verè dicitur sub disunctione respicere alterutrum.

²⁹⁶ Secundò contingere potest, ut actus neutrum extremum disiuncti respiciatur absolute, & determinate, & nihilominus verè dicatur respicere alterutrum sub disunctione. Quod evenit, quando actus determinate respicit vtrumvis extremum disiuncti sub conditione defectus alterius. Ob id, actum hoc pacto respicientem determinate, conditionateque extrema disiuncti aequivalenter disiunctum ex parte termini, ex parteve subiecti appellauimus *superius quæst. 2.*

²⁹⁷ Vnde vnum colligitur valde notandum: etsi non possit vtrumvis extremum disiuncti habere esse sub conditione defectus alterius, quin alterum eorum habeat esse absolute, & determinate, ut *propofit. 10.* monstratum est, posse tamen vtrumvis extremum disiuncti respici per actum sub conditione defectus alterius, quin alterum eorum respiciatur per illum absolute, & determinate. Cuius ratio à priori est quia actus potest respicere extrema disiuncti prout

habentia esse in statu conditionato, cum præcisione ab eo quod habeant esse, vel secus in statu absoluto; tamen si status conditionatus in quo respicit illa cum statu absoluto alterius eorum connexus necessarius sit, ut euenit in casu nostro. Ex quo etiam patet, cur possit esse verum, vnum, vel alterum extremum sub disunctione per actum respici, quin verum sit, respici alterum eorum absolute & determinate; & consequenter, cur possit vnum, vel alterum extremum sub disunctione aut cognosci aut amari, aut peti, aut præcipi, aut requisitum esse ad quidpiam &c.; quin alterum eorum absolute & determinate, aut cognoscatur, aut ametur, petatur, aut præcipiatur, aut sit requisitum ad quidpiam &c. Tamen nullatenus possit vnum, vel alterum extremum sub disunctione habere esse, quin habeat esse eorum alterum absolute & determinate. Quomodo autem bifariam dici possit actus respicere vtrumvis extremum disiuncti sub conditione defectus alterius; nimirum, aut conditione se habente ex parte ipsius extremi, aut conditione se habente ex parte ipsius actus, *supra q. 2.* explicatum est, ubi ad rem plura Recolantur.

Propositio 13.

Status rerum existentialis de futuro, de præsentis, & de præterito mutuo inter se connexi sunt metaphysicè.

Est dicere. Quod semel est futurum nequit non esse aliquando præsens, & aliquando præteritum, & vice versà. Est autem propositio euidens: quia euidens est, quamlibet mensuram temporis suapte essentia aliquando futuram, aliquando præsentem, & aliquando præteritam esse, quamlibetque proinde rem in tali mensurâ existentem easdem differentias ab illa, eodémve status fortiri.

Hinc istae consequentiæ sunt bonæ de vnaquaque re: Est futura: ergo erit præsens, & præterita. Est præsens: ergo fuit futura, & erit præterita. Est præterita: ergo fuit præsens, & futura: idque siue de futuritione, præsentia, & præteritione rei absoluta, siue de conditionata sit sermo.

Propositio 14.

Vt affirmatio, & negatio eiusdem de eodem contradictione opponantur, eiusdem de eodem esse debent, non solum quoad entitatem; sed etiam quoad statum.

Est clarum. Propter eam namque hæc propositiones: *Si Petrus vocetur consentiet: Petrus non consentiet;* contradictoriè non opponuntur, etsi sint affirmatio eiusdem de eodem quoad entitatem, scilicet eiusdem consensus de eodem Petro: quia non sunt eiusdem de eodem quoad statum; cum prima de Petro consensusm ut conditionatum affirmet, quem negat secunda ut absolutum. Similiter hæc propositiones: *Petrus est rationalis: Petrus non est existens;* contradictoriæ non sunt; etsi rationalitas, quam prima affirmat de Petro entitatiuè sit idem cum existentia, quam de eodem negat secunda: quia prima agit de eâ entitate prout in statu quiditatio: secunda prout in existentiâ. Pariterque est dicendum de cæteris.

Per doctrinam huius propositionis, quæ certissima est, diluimus *supra quæst. 1.* quadam quorundam Recentiorum sophismata, aliaque alibi diluimus.


Propo

Propositio 15.

101 Veritatis propositionis disiunctivæ nihil obstat, quod omnia extrema disiuncti determinatè vera sint.

Hanc propositionem adiungo propter nonnullos, qui putarunt, ut propositio disiunctiva sit vera, vnum duntaxat extremum disiuncti debere esse verum determinatè, ut supra iam notatum est num. 146. quasi propositio disiunctiva determinatam reliquorum veritatem excludat. Decepti tamen sunt manifestè: quia hæc propositio disiunctiva: *Petrus, vel Ioannes, vel Paulus loquitur*, eundem prorsus habet sensum, iuxta mentem omnium, atque hæc: *aliquis horum trium hominum loquitur*. Hanc autem esse veram, quantumvis omnes tres loquantur, inde monstratur: quia si esset falsa, eius contradictoria esset vera, nempe: *nullus horum trium hominum loquitur*; fieretque ut omnibus tribus loquentibus, nullus eorum loqueretur, quod est chimericum. Tantumdemque de aliis quibusque disiunctivis venit dicendum.

102 Sufficiantque impræsentiarum propositiones, istæ, præter alias, quæ ex dictis iam in præcedentibus quæstionibus compingi possunt, & demonstrari.



DISPUTATIO II.

De possibilitate, impossibilitate, contingentia, & necessitate entium, seu rerum; atque aded obiectorum intellectus humani.



ALDE confert horum quatuor terminorum tractatio ad plene capiendam naturam obiectorum tum intellectus humani; tum etiam divini; necnon ad alia plura prænotanda tum huius Operis propria tum aliis communia.

QVÆSTIO I.

Quid sit possibile in vniuersum; quid possibilitas; & quotuplex?

2 QVamquam à potentia ad quemvis actum quoduis subiectum dicatur potens ad actum ipsum: à solâ tamen potentia ad actum existendi dicitur subiectum illam habens possibile, ut supra disputatione 8. quæst. 3. diuis. 1. notauimus. Itaque possibile dicitur vniuersè, quidquid potest existere; possibilitas autem potentia est ad existendum. Vnde patet primò, possibile sumptum formaliter, prout cadit sub hoc nomen, concretum quoddam esse nostro modo concipiendi coalescens ex subiecto, quod possibile dicitur, & ex actu primo, siue potentia ad existendum, quæ est possibilitas: Prout de ente sumptò pro potente existere supra disputatione 9. quæst. 1. dictum est. Secundò patet, con-

Pharus Scens. Tom. I.

creta possibile, & existens mutuo sibi correspondentia nequaquam habere posse subiecta re ipsa distincta; sed necessariò habere vnum, & idem. Nam potentia, & actus mutuo sibi correspondentes eiusdem omninò subiecti sunt, ut disputatione 8. quæst. 4. proposui. 3. monstratum est. Ex quo rursum apparet, quod existit, idem omninò fuisse antea possibile, & quod est possibile, idem omninò reddi existens, si ei existentia communicetur; proinde nequaquam esse extrema ex parte subiecti distincta possibile, & existens, quæ mutuo sibi correspondent. In quo D. D. omnes, ut certissimò, eui dentissimòque conueniunt.

Iam verò possibile vniuersè sumptum primò diuidi potest in possibile cum sua existentia connexum; sicque propterea potens existere, ut nequeat non existere; & possibile non connexum cum sua existentia, atque aded ita potens existere, ut possit etiam non existere.

Secundò. Possibile cum sua existentia connexum, aliud est connexum metaphysicè, quod nullâ potentia potest non existere; qualis est Deus. Aliud connexum solum physicè, seu naturaliter, quod non potest non existere citra miraculum, potest tamen simpliciter, ut sunt effectus naturaliter inenitabiles; aliud connexum solum moraliter, quod nequit moraliter non existere, etsi queat metaphysicè, & physicè.

Tertiò. Possibile non connexum cum sua existentia; aliud est nunquam existens; quod pure possibile dicitur, seu possibile non existens; aliud est aliquando existens, quod possibile non pure, seu potius possibile existens potest vocari.

Quartò est diuidendum possibile vniuersè sumptum, in possibile metaphysicè, possibile physicè, & possibile moraliter. Possibile metaphysicè dicimus, quod simpliciter est potens existere, etsi fortasse non sit potens naturaliter, aut moraliter. Possibile autem physicè, quod etiam naturaliter potest existere. Ex quo patet omne possibile moraliter etiam physicè, & metaphysicè possibile esse, & omne possibile physicè, etiam metaphysicè; sed non vice versa.

Quintò. Quoduis ex dictis possibilibus in proxime, & in remotè tale diuidi potest. Possibilitas namque, utpote quadam potentia in proximam, & remotam diuidenda venit; iuxta diuis. 6. potentia in genere traditam disputatione 8. quæstio 3. Videatur.

Sextò. Quoduis etiam ex dictis possibilibus in possibile absolute, & possibile ex suppositione est diuidendum. Primum est, quod nullâ expectata conditione, atque aded absolute dicitur tale. Secundum, quod tale tantum est ex hypothesi, quod aliqua subsistat conditio. Conditio autem, aut potest esse impossibilis, quo casu possibile ex suppositione absolute erit impossibile in suo genere; aut potest esse possibilis, eaque vel necessaria, vel contingens. Quo casu possibile ex suppositione absolute etiam erit possibile.

His positis, quæ apud omnes sunt certa, quod in præsentis controuersit, est in quo consistat re ipsa possibile metaphysicè, quod absolute, & simpliciter tale est, præsertim, quod pure est possibile, aut saltem cum præcisione à sua absolute existentia indicatur possibile, seu, quod idem est; quæ fundamenta dentur ex parte rerum, ut verè dicantur possibilia, quæcumque simpliciter, & absolute possibilia dicantur independentè à sua absolute existentia; siue illa careant